


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

21,-213-8° DA BOX
(LN bis 62)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

1908. l. 1976.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

C

RV

FVER

rum h

nia alt

Do

Anno

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

5

EXPLICATIO CHARACTERVM QVI INVENTI FVERVNT IN LATERIBVS DVORUM

rum halecum quæ fuerunt capta, vnum in Dania alterum in Noruuegia, 21. Nouemb. anno Domini 1587. quæ iudicium Dei in ſuperbos mundi & eorum caput Antichriſtum prænunciant.

Auctore
ANANIA IERAVCVRIO.

Ad ſereniſſ. Regem Daniæ.

Characterum figuram ſequens continet pagina.

Anno Domini, MDLXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Characteres inuenti in ſiniſtro latere maioris halecis.



Characteres inuenti in dextro latere maioris halecis.



Characteres inuenti in dextro latere minoris halecis.



Characteres inuenti in ſiniſtro latere minoris halecis.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

SERENISS. ET POTENTISS. REGI DANIÆ FRIDERICO, &c. S.

NON poteſt carere prodigio quod piſces characteribus velut Dei digito inſculptis inſigniti, portendentes Dei iudicium in ſuperbos mundi & eorum caput Antichriſtum, capti fuerint duo, in duob. locis, vno eodemq́ die, & nulli alii capi potuerint eo die quo ij capti ſunt, cum alioqui multa milia capi ſoleant. Nec caret Dei prouidentia quod Danis primis ſuum in ſuperbos iudicium Deus prænunciauerit. Præcipue cum ipſa Dania à Iudicio olim nomen accepiſſe videatur. Qua in re videtur Deus, cuius prouidentia æterna eſt, iam ante multa ſecula per nomen ipſum indicaſſe, quod iam ex effectis demonſtrauit; ſe ſcilicet oſtenſurum Danis primis, certiſsima indicia huius in ſuperbos mundi iudicii, qualia nunc videmus: eiſque nunc committere videtur primas partes in executione huius iudicii, quod eſt ſextū & penultimum connumerandū inter ſeptem generalia mundi iudicia. Ea de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

cauſa T. M. dicare volui hanc explicationem, & ea de re ſpecialiorem oratiunculam habere, quam in fine huius tractatuli repoſui, vt ſicut per totum fere orbem vulgatum fuit prodigium, ſic ſub nomine M. T. vbique hæc explicatio promulgetur.

Maieſtatis T. Deuotiſſ.
Ananias Ierauc.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

MISIT ad me amicus & familiaris meus aliquis figurā duorū halecum, quæ capta fuerant à piſcatoribus, vnū in Dania maiuſculum, alterū minus in Norwegia 21. die Nouembris 1587. quo menſe ſolent ipſi Dani ea expiſcari, multaq; milia capere, verū eo die capta fuerunt tantum duo in duobus diuerſis locis.

Et ea erant certis characterib. nigris ad carnem vſq; profunde adhęrentib. inſignita, fuerantque ad regem Daniæ miſſa. Et is qui ad me miſerat, poſtulabat vt hos characteres oſtenderē viris doctis, & peterem eorū ſuper hac re iudicium, ſimulque meam ad illum mitterem ſententiā, vt ſciret quid mihi de his characteribus videretur. Ego vt ſatisfacerem eius petitioni, oſtendi figuram halecum & characterum deſcriptionem viris doctiſſimis, qui tamen nihil certi ex eo colligebant. Mihi etiam prima fronte res viſa fuit difficillima, cum multi eſſent characteres qui incogniti videbantur: donec me ratiocinium & meditatio adduxit ad id, vt ita apud me arguere cœperim. Aut rem eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

fictam aut ſeriam. Si ficta eſſet, ineptum
eſſe quærere eius explicationẽ, & me fru-
ſtra pro fictione fatigari. Si vera eſſet, eam
non carere prodigio, nec poſſe ab alio quã
à Deo eſſe. Si à Deo eſſet, ſcripturam de-
bere eſſe conſtantem. Et cum diligentius
inquirens inueniſſem rem ita accidiſſe vt
narratio ferebat, conſtanter quærendam
explicationem putaui. Cum igitur aliqui
characteres eſſent Latini, vt ſcriptura cõ-
ſtans eſſet, reliquos debere eſſe Latinos
conieci, & verba Latinis characterib. con-
ſcripta, debere Latine exponi. Hoc primo
poſito fundamento, aut potius hac inuen-
ta claue, quæ primum oſtium aperire vi-
debatur, veni ad perquiſitionem aliorum
characterum, in quibus inueni aliquas li-
teras alias aliis interſertas, eodem modo
quo ſolent aliqui nomina ſua certis cha-
racteribus literiſque implexis occultare,
quos characteres, ita implexos, aliqui Ci-
phras vocant. Tertio iuueni aliquos cha-
racteres eſſe inuerſos, alios euerſos. Quar-
to aliquas eſſe abbreuiaturas. Quibus per-
ſpectis facilior fuit aditus ad penetralia
cognitionis myſterii. Agnoſcens tamen
Gene. 40.8. interpretationes eſſe ex Deo, & Deum
eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

eſſe in cœlo qui hominib. arcana patefa- Dan. 2. 28.
cit: ab eo igitur & petere & ſperare volui, & ſub ſpe fauoris ipſius rem inueſtigare.

Ad lectionē igitur veniens putaui prima fronte illas quatuor priores literas ſiniſtri lateris maioris halecis V I C I, eſſe continuo legendas, vt ſi eſſet verbum *vici*. Verum cum poſtea viderem in minori halece, V V A I V I in lectione continua nihil ſignificare Latino idiomate, quo characteres erant compoſiti: cœpi apud me colligere ſingulos hos characteres & ſingulas literas eſſe ſeorſim legēdas. Quia vero erant aliqui characteres qui per ſe aliquid deſignant, ex eo inferebam ſingularum literarum lectionem pendere ex illis, aut ſaltem ſenſum eſſe eliciendum, qui cum illis generaliter correſponderet, neq; eſſet coactus, ſed omnia inde libere, & eodem tenore fluerent. Deinde ſimul exponeretur ſingularum literarum ſitus & diſpoſitio.

In priori igitur ac maiori halece tria ratiocinia inueniuntur. Ipſa idē recinunt: & ideo poſteriora priorum confirmant explicationem. Hæc ſunt igitur tria illa ratiocinia. Prius, *Venit Ieſus Chriſtus iudi-*

care, ſuperbiam mundi peruerſi. Secundum eſt: *Mundi ſubuerſio imminet ruinoſa.* Tertium eſt: *Venit periodus ſubuerſionis mundi & mundanorum vniuerſi:* quæ mundi ſubuerſio non eſt intelligenda de diſpoſitione terrę, cœli, aut elementorum, ſed de ſtatu rerum mundanarum, in qua fieri portēditur magna cataſtrophe & immutatio, faxit Deus vt ſit in melius, vt nos etiam ſperamus. Sic igitur exponimus quatuor priores characteres. V, id eſt: *Venit.* I *Ieſus*, C *Chriſtus*, I *iudicare.* Character quintus ſignificat ſuperbiam mundi peruerſi. quod elicimus ex variis ductibus literarum in ipſo charactere exiſtentium. Etenim illic eſt M, deinde in eodē eſt V, tertio *V*I quod eſt N, quarto D quod eſt D. quinto I, ſed euerſum. Itaq; illic vocabulum mundi plane legitur. In ſiniſtro latere ipſius characteris eſt *ſ*, & veniens tanquam cornu ſuper ipſum mundi characterem, nos illud pro ſuperbia ſeu ſuperbię cornu ſumimus. Quia vero totus character non eſt in recta ſua conſtitutione, ſed quodāmodo euerſus, & *p* legitur per verſi I, medium. Ideo ex eo colligimus vocabulū *peruerſi*, & ſic legimus in illo charactere *ſuperbiā mundi peruerſi.* Sex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Sextus character ſignificat mundi per-
uerſi ſubuerſionem, in eo enim eſt M. ſed
ſubuerſum, quod ſignificat ſubuerſionẽ,
nec ſolum illud, ſed verſo folio legi debet,
& hoc denotat peruerſitatem. Et in eo eſt
quidem M. deinde V, tertio *VI* id eſt N,
quarto *d*, deſinens in I. Ita vt *mundi* plane
legi poſſit. Itaque totus character ita legi
poteſt, *ſubuerſio mundi peruerſi*. Poſtea ſub-
ſequens I, ſignificat *imminet*, eius tamen
baſis cum non ſit ad rectos angulos pla-
na, ſignificat rem ruinoſam, quæ per ſe ca-
ſum minatur. Itaque totum illud ratioci-
nium hoc continet: *Subuerſio mundi per-
uerſi imminet ruinoſa*.

In dextro latere eiuſdem minoris hale-
cis ſunt *tres* characteres, prior eſt V. & ſi-
gnificat *venit*. Secundus character conti-
net, duplex M, ſubuerſum, vbi notari po-
teſt punctũ ſeu periodus, & ſignificat *pe-
riodum*. Deinde M. ſuperius continens
inferius M, ſignificat *continens*, hoc eſt,
mundum, & M inferius contentum ſi-
gnificat *mundanos*, qui in mundo conti-
nentur. M igitur ſuperius ſubuerſum ſi-
gnificat *mundi ſubuerſionem* & inferius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

M ſimiliter ſubuerſum denotat *mundanos peruerſos*. Totus ergo character ſic legi poteſt: *Periodus ſubuerſionis mundi & mundanorum peruerſorum*. Subſequens character in variis ductibus continet primo V, ſecũdo inferius N, & in dextro latere ipſius N legitur I: Quarto *V*, id eſt ver. Quinto in dextro cornu *ſ*: ſexto reſume I, fiet vocabulum vniuerſi. Itaque totius dextri lateris ſcriptura talis elici poteſt: *Venit periodus ſubuerſionis mundi & mundanorum peruerſorum vniuerſi*: quæ priora duo ratiocinia confirmant. In minoris halecis dextro latere continetur triplex C, ſed euerſum & poteſt reſtitui. C igitur euerſum, ſignificat *caſum & euerſionem*: & triplex C euerſum, ſignificat caſum in tertio hoc eſt ſuperlatiuo gradu inſignem. Primum igitur C, vt ſimplex eſt ſic etiã ſimpliciter ſignificat *cadent*, in ſecundo ſpectari poteſt primo C, ſecundo intus I, tertio T id eſt t, quarto o quibus collectis fit vocabulum *cito*. Tertium C habet cornu in fronte, & ideo ſignificat *cornua*. illius igitur lateris ſcriptura ita legi poteſt, *Cadent cito cornua*. In dextro latere eſt character V V id eſt duplex V & ſignificat bis

quinque

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

quinq; id eſt *decem* & refertur ad cornua: vt *Cito cadent cornua decem* Antichriſti, vt ex ſequentibus euidentius erit. Significat igitur ſubſequens litera A *Antichriſtum* I *inimicum* V id eſt *verbi*, I *Ieſu*. Ita vt tota minoris halecis ſcriptura hæc complectatur: *Cadent cito cornua decem Antichriſti inimici verbi Ieſu.* Proponuntur vero Antichriſti cornua decem iuxta Prophetiam Danielis & Apocalypſeos, vbi proponitur beſtia habens decem cornua.

In ipſo charactere V poſſumus aliquid ſingulare adnotare. Etenim cum nos ſoleamus ſcribere W id eſt ver, interrūpentes ſiniſtrum cornu ipſius V, hic contra dextrum cornu interrumpitur, vt ſciamus verbum Dei aliquid ſingulare habere. Deinde ſiniſtrum cornu latius exiſtens dextro, habet ſuperius limitē, lineolā ſcilicet tranſuerſam: vt ſciamus latiorem viam ſiniſtrā limitem habere ſcilicet mortem, at dextrū cornu anguſtius exiſtens excedit locum vbi limes adhiberi ſolet, & caret limite, hoc eſt, lineola tranſuerſa quę vt limes adhiberi ſolet: vt ſciamus vitam quæ eſt ex dextro latere, carere limite morte, & eſſe vitam æternam, & verbum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

ipſum eſſe æternum. I etiam procedit ex ipſo dextro latere eique adhærens ita vt dimidia pars ipſius literæ exterius cernatur, altera dimidia pars eſt velut occulta, non enim cernitur ſed ſuppletur, denotat vero verbi Dei externam, hoc eſt literalẽ partem ab omnibus cerni, ſpiritualem vero ipſius partem quæ interna eſt, ſenſibus externis non cerni. Sunt autem aliqui qui exiſtimarũt hos characteres fuiſſe arte ſculptos in lateribus halecum: & vt illud aliquo veriſimili prætextu ornent, dicunt in Norwegia halecia cuſtodiri poſſe in aëre extra aquam per aliquantulũ temporis ſpatium. Verũ hoc ab aliis non conceditur, & quamuis poſſent illũ aêrem frigidũ & craſſum ſuſtinere, nõ tamen ſequitur ea poſſe ſuſtinere vim cauterii, ꝓfunde vſq; ad carnẽ adhibiti: & rurſus in mari viuere. Et quamuis hoc eſſet, quis tamẽ in pleno mari potuiſſet ea rurſus expiſcari, duo in duobus locis diuerſis & remotis eodem die? Et quod auget rei admirationem, cum aliis dieb. multa milia capi ſoleant, illo die duo tantum capta fuerunt: quare non poteſt hoc carere myſterio & prodigio. Qua de cauſa cum nos videamus

mus hoc portentum non temere accidiſſe, & eius ſignificationem exponere ſtatum ſeculi in quo nos verſamur. Cum etiam Deus nobis dederit huius myſterii quantulamcumq; ſolutionē, exiſtimauimus noſtri officii eſſe, vt illam ad eccleſiæ conſolationē in lucem edamus. Videmus enim Antichriſtū excitare contra Chriſtū decem cornua. Sed videmus alia ex parte. Deū aliud moliri. Quod ſcilicet decē illa cornua decidant ipſi Antichriſto, nouimus vero quomodocumq; fiat, futurū tamē vt decē cornua reddant beſtiā nudam & deſolatam. Quod autē in noſtra explanatione & reſolutione characterū, inuenimus Chriſtū venire, nō aſſerimus de aduentu viſibili aut aduentu in gloria, qualis erit in nouiſſimo die, ſed qui ex effectibus cognoſcetur cum vindictā ſumet de inimicis ſuis Chriſtus: ſubuerſio etiam mundi peruerſi, non eſt ſubuerſio cœli & terrę, ſed ſtatus mundi, nec eſt ſubuerſio bonorū qui in mundo ſunt, ſed ſubuerſio mundi peruerſi, hoc eſt mundanorum peruerſorū, ad id vt ſtatus bonorū ſit pacatior & magis quietus. Et ſublatis Chriſti inimicis de terra, qui eccleſiā opprimunt, iuſtitia, pax & veritas coli poſſint.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Quod vero dicit explicatio Chriſtum iudicaturum ſuperbiam mundi peruerſi, non intelligimus de nouiſſimo ſeu extremo iudicio, ſed de penultimo quod eſt iudicium Babylonis. quo ſcilicet Babylon iudicabitur, & iudicata cadet. Qua de re etiam componebam libellum cum mihi oblatę fuerunt hę haleces. Liber ille fere completus erat, nec videbatur aliud deſiderare quam ſigillum, & hi characteres nobis obuenerunt vt tractatuli aut potius rei ſigillum.

Quod ad ſuperbiam quam Chriſtus iudicaturus eſt: certum eſt nullum peccatum magis Deo diſplicere ipſa ſuperbia: & ipſam eſſe periodum extremumque limitem aliorum peccatorum. Ita vt cum ad illam periodum deuentum eſt, tunc fiat rerum viciſſitudo. Sic cum Na-
Dan. 4. 27. buchodonoſor ſuperbire cœpit, fuit è ſolio ſuo regio ad paſcendum cum beſtiis
Act. 12. 23. miſſus. Baltaſſar etiam ſuperbiens periit. Herodes cum permiſiſſet vt ſibi diceretur: Vox Dei non hominis, percuſſus fuit
Esa. 47. 8. manu Domini. De Babylone etiam
Apoc. 18. 7. ſcriptum eſt futurum vt cum diceret; Sedeo regina & non ſum vidua, & luctum non videbo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

videbo, tunc ei ſubita ruina accidat. Nunc vero præter impietates quas Babylon commiſit, & præter ſanguinem martyrũ & ſanctorum quo inebriata eſt: eius ſuperbia maior nunquam fuit, nec plenior, nec ſuę periodo propinquior. Eam igitur iudicaturus eſt Deus hoc iudicio, quod non eſt primum nec vltimum, ſed ex ſeptem generalibus iudiciis mundo conſtitutis, eſt ſextum & penultimum. Apoc. 17. 6.

Sunt tamen aliqui qui cum videant omnia Babyloni hactenus bene ſucceſſiſſe, exiſtimant futurum vt ſuperior euadat, & ideo moliuntur defectum. Sciant vero iudicium Domini ab eius domo incipere, & futurum vt cum dicent impii Pax & ſecuritas, tunc eis ſubita deſtructio veniat. Imo potius ii qui in Babylone verſantur, debent mature exire, ne fiant participes plagarum & vlcerum eius. Si quis vero quęrat, Vbi ſunt apparatus bellici & vbi eſt exercitus, aut vnde erit qui Babylonem deſtruet? Ad id reſpondet Apocalypſis: Deus eſt potens qui iudicabit illam. Demonſtrans illud non pendere ex humanis viribus ſed ex Dei omnipotentis virtute. Noſtrum tamen eſt in eum Apoc. 18. 8.

ſperare & interim quæ mala ſunt inter nos, corrigere. Et quę noſtri officii ſunt, præſtare.

Matt 4. Ioan. 21. Dominus noſter IeſusChriſtus non ſolum ſemel, ſed bis; nõ ſolum ante mortis ſuæ tempus, ſed & poſt reſurrectionẽ ſeſe manifeſtauit diſcipulis ſuis per piſcationẽ, & ſeſe piſcatoribus manifeſtauit. Non mirum igitur ſi nunc ſuum iudicium piſcatoribus manifeſtet aut per piſcatores. Si etiam Apoſtoli ex eo agnouerunt præſentiam Domini, quod cũ per aliquod temptus vt integræ noctis, nõ potuiſſent piſces capere, & poſtea ſuo verbo capiebãt. Cur nunc non agnoſcemus, hoc myſteriũ non carere miraculo, cũ videamus eo die quo hęc duo halecia in variis maris littorib. capta fuerunt nulla alia capta fuiſſe?

Dan. 5. Fuit autem tempore Baltaſſaris ſcriptura propoſita quam legere non potuerunt Chaldæi, ſed Daniel eius ſolutionem inuenit. Nunc autem quęri poteſt qualeſnam characteres eſſe poterant illi, vtrum cogniti an incogniti, vtrum Chaldæi necne? Reſpondeo illud quidem certo tradi non poſſe. Attamen ratione & veriſimilitudine nos poſſe coniicere, illos characteres

rȩs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

res fuiſſe Chaldęos, vt correſpõderent idiomati in quo ſcripta erat res propoſita. Si enim lingua incognita res fuiſſet propoſita, non potuiſſent Chaldæi iudicare vtrũ recte fuiſſet expoſita necne. Similiter ſi characteribus incognitis res fuiſſet occultata, cur igitur Chaldæi non potuerunt rem elucidare? quia quamuis characteres cogniti eſſent, tamẽ modo incognito proponi poterant, vt ſuperius expoſiti characteres non ſunt incogniti ſed modo incognito propoſiti. Et ideo eorum explicatio vtrum legitima ſit necne, ab omnib. poteſt iudicari.

Quid igitur de hoc iudicii die agemus? vtrum tacebimus? Imo ſicut dicebat Dominus cum pueri clamarent in viſitatione Ierosolymorum: Si hi taceant, lapides loquentur. Ioan.19.40.
Sic & nunc ſi de hoc iudicio penultimo homines taceant, piſces loquentur. Imo loquuntur, & melius quã ſemel edita voce, characteres enim non euaneſcunt vt vox ſemel prolata, nec de ea ab omnib. recte iudicatur, vt videmus de voce quam Deus emiſerat ad glorificandũ filium ſuum, aliquos falſo putaſſe, fuiſſe Angelum, alios tonitru, & ſimiles rumores Ioan 12.29.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

ſparſos fuiſſe. Hodie etiam multi putant ſe omnia noſſe & nihil ignorare, ideoq; de omnibus iudicant, & ſe criticos in omnib. præbent: & diſcere nihil volunt, neque quęrunt quid in hoc anno, qui iam multis annis fuit prædictus annus mirabilis, & cuius miri iam effectus & miri apparatus cernuntur, Deus facturus ſit: Ideoque per mutos piſces Deus nobis prænunciat quod prænunciare debuiſſent doctores, Antichriſtus etiam noluit permittere vt ſibi martyres Chriſti veritatem manifeſte dicerent, nunc permittit Deus & efficit vt eius ruina ei prænuncietur per mutos piſces. Nihil enim eſt piſcibus magis mutũ. Etenim aues garriunt, canes latrant, lupi vlulant, boues mugiunt, rugiunt leones,
Num. 22, 28 equi hinniunt, aſina Balaami locuta eſt: At piſces prorſus nullam emittunt vocẽ, nunc vero piſces loquuntur vt coarguant ſuperbiam mundi peruerſi, eiuſque ſtatus ſubuerſionem prænuncient, pręcipue vero Antichriſti caſum, nõ tamen voce humana, ne vox euaneſceret in auras, ſed firmis characteribus.

Cæterum ne quid maneat in hoc myſterio quod careat explicatione, non ſolũ

characte-

characteres explicabimus, ſed & cur po-
tius in Dania quam alibi hæc prænuncia-
ta fuerint. Quia ſcilicet ea prænunciant
futurum Babylonis iudicium. Etenim pa-
tria vocatur Dania à iudicio: Et videtur
nomen accepiſſe ab aliquo nepote Noæ,
quando diſperſi fuerunt principes tribuũ
in confuſione Babylonica. Tunc enim
veriſimile eſt aliquem qui vocatus fuerit
Dan, occupaſſe illam regionem, & de ſuo
nomine vocaſſe Daniam. Quod etiã po-
tuit fieri Diuina prouidentia: ſimiliter in
Norwegia fuit captũ minus halec, quod
etiam poteſt denotare ex partibus aqui-
lonaribus venturum Babyloni excidium,
& rem aliquam futuram deſignare. Sic vi-
demus à valle Ioſaphat fieri alluſionẽ ad
diem iudicii. Ioele dicente Deum cõgre- Ioel 3 a 2.
gaturũ omnes gentes ad vallem Ioſaphat.
Et nunc poteſt fieri vt Deus in hoc iudicio
aliquid egregii præſtet aut per regem Da-
niæ, aut gentem Danam. Et fortaſſe eadẽ
de cauſa, eadẽ in patria Deus prius oſten-
dit hoc prodigium, iudicium Babylonis
prænuncians. Deus omnia in melius con-
uertat & liberet populum ſuum & regnũ
ſuum adducat & augeat: tandem noſtrum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

eſt proſpicere vt corā iudice venturo condigne compareamus. Et vt quilibet à malo recedat, & faciat ius & iuſtitiā. Deumque vnum diligamus & colamus eiq; ſoli obediamus, nos ad illud diſponat Deus.

Gloria Dei eſt occultare verbum, & gloria regū eſt inquirere de verbo. Prouerb. 15. v. 5.

SERE-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

SERENISS. ET POTENTISS. REGI Daniæ Friderico, &c.

ORATIO CORONIDIS LOCO.

OLIM Prophetę ſolebant reges inungere, & ſi qua eſſet ſpecialis Dei vocatio, eam videntes prænunciabant, nunc ſeculum Prophetarū videtur dormitare, donec illud excitet Deus. Cum tamen nunc Deus aliquid ſpeciale editurus ſit & exercere velit, & celebrare iudicium Babylonis, iamq; illa prophetarum vocatio videatur obſoleta. Excitauit Deus nouum prodigium, piſces ſcilicet mutos expreſſius quam voce humana loquentes, & indicantes M.T. gentemque Daniæ vocari ad hanc expeditionem, eis primis expreſſo prodigio oſtendens hoc in ſuperbos mundi & eorū caput Antichriſtum, iudicium. Nolim tamē M.T. perſuadere vt aliquid ſuſcipiat, ſed ne vocationi diuinæ reſiſtat eam monere, mei officii eſſe puto. Habet exemplum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Ionæ reſiſtentis vocationi diuinę, etiamſi vocatio regis & prophetæ multum differant. Nolim etiam perſuadere M. T. vt aliquid ſuſcipiat, ſed vt maturè ſuſcipiat, nec puto opus eſſe perſuaſione, cum neceſſitas illud exigat, nec vlterius dormitare rei conſequentia permittat. Non opus eſt inimicos laceſſere, ſed vt laceſſiti reſiſtamus. Cumq; M. T. experta fuerit fauorem diuinum, rei ſucceſſus docebit quid inſuper agendum ſit. De quo fauore diuino dubitandum non eſt, cum Deus numquam ſit defuturus iis quos ipſe mittit apertis & manifeſtis indiciis eorū vocationem obſignans, vt hāc prodigioſis characteribus obſignare videtur. Quis vero inter membra eccleſiæ oppreſſæ poteſt melius ſuſcipere protectionem populi Dei afflicti quam Maieſtas tua potentiſſima & pietate digniſſima, quam Deus præfecit regno populoſiſſimo & potentiſſimo? Aut qua in re poſſet melius M. T. occupari quam ad id vt ſeruiat Deo Deiq; populo ad liberationem eccleſiæ ab oppreſſione conſcientiæ? Aut quo tempore commodius quam nunc cū videmus vbique circumſtātes inimicos ad opprimen-

da

da eccleſiæ reformatæ membra paratiſſimos, quorum pars magna eſt M. T. & populus Danus tuus. Adiicio etiã nunc iniquitatem Chananęorũ perueniſſe ad ſuam periodum, & compleuiſſe menſuram ſuam. Eſt autem occaſio præceps & à tergo calua, quare mature arripienda. In talibus etiã expeditionib. requiritur princeps pius, & expeditus, talem video te eſſe Rex potentiſſime. Pietatis enim ſpecimen oſtendit M. T. in eo quod mirum in modum diligit pacem eccleſiarum, & paſtoribus ſuæ ditionis modeſtiã commendat. Prompti & expediti animi, indicia dedit in legatione in Galliã miſſa, vt Galliæ rex rogaretur conſcientiæ libertatem populo ſuo largiri. In qua expeditione legati tui redierunt longo temporis ſpatio antequã alii principes eam ſuſciperent. Et talia ſacrificia Deo placent quæ fiunt prompto & hilari animo. Poſſet tamen M. T. deterreri eo quod exercitus nuper in Galliam miſſus, ita miſere fuerit diſſipatus, quod etiam poſſet animum inimicorum inflare. Verum propterea non debent ſuperbire inimici, quaſi hoc eorum virtute factũ eſſet, ſuperbiunt tamen illud ſuę pruden-

tiæ tribuentes. Verum Nabuchodonoſoris, Baltaſſaris & Herodis ſuperbia fuit prænuncia eorum ruinæ. Sciant ergo omnes virtutem inimicorum nobis non nocuiſſe, ſed noſtra peccata nobis fuiſſe in ruinā: nouimus enim quæ facta fuerunt in Elſatia, ne alia attingam, & nouimus Deū eſſe iuſtum, & non poſſe ſuſtinere malū. Quid enim dicemus ſi in exercitu aliquo requiratur Deus dux & homo dux? homo dux inquam, hoc eſt homo qui iuſtitiam exerceat, & Deus dux cuius iuſtitia exerceatur, & cuius iura colātur. vtrū Deus poterit populum ſuum ſuſtinere ſi inter illos qui profitentur ſe arma ferre pro libertate populi Dei, inueniatur auaritia, luxuria, ambitio, confuſio & iniuſtitia? Vtrum honeſtum eſſet ſi inter Chriſtianos inueniretur lex vnica, carere lege, & licentiam quidlibet impune agēdi arripere, eiſq; eſſet lex exlex, ac in ſumma ſummū ius ſumma iniuria? Deusne harū rerū fautor eſſet? Nolim tamen dicere hæc in noſtro exercitu fuiſſe. Verū non exiſtimo ſecretarios fuiſſe oneratos articulis diſciplinæ quæ illic conſtituta fuerit. Nec dubitandum eſt quin in tāto exercitu fuerint aliqui male-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

fici ſupplicio afficiendi, nec tamen fuerunt multæ arbores onuſtę eorum corporibus ſupplicio affectis. Olim Ethnici ſolebant diis ſuis offerre humanas hoſtias & ſanguine innocentium, Deorum ſuorũ iram placare. Quæ ſacrificia erant dira & impia, ſicut & eorum Dii vani. Non autẽ delectatur Deus huiuſmodi ſacrificiis, & humanis hoſtiis, niſi quis ſeipſum ſponte martyrio offerat vt Chriſtus & martyres eius aut etiam ſi praui homines mortis rei digno afficiantur ſupplicio, vt mali coerceantur freno iuris & ſint aliis exemplo vt à malo deterreantur pœnis, qui ſimplici admonitione à malo non abhorrent. Cũ igitur magiſtratus aut præfecti exercitus nõ animaduertũt in malos homines, Deus in ipſos animaduertit. Et plane patet Deum fuiſſe iratũ contra noſtrum exercitum, quoniã non modo occiſi fuerunt per manus inimicorũ incaute, ſed etiam multi morbo confecti ſunt, nõ modo in exercitu, ſed etiam cum ſeſe inter amicos ſuos recepiſſent, viderenturq; omne periculũ euaſiſſe, nec ſolũ mali perierunt multi, ſed & boni aliqui interierunt, vrgente & ferueſcente Dei iudicio. Ideoq; debent boni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

procurare vt iuſtitia exerceatur & vt mali coerceantur, ne Dei furor accendatur & corripiantur boni cum malis. Cæterum ſi aduigilaſſent noſtri Deo, Deus eorũ cuſtos fuiſſet, hoc eſt ſi curã habuiſſent præceptorum Dei, numquam permiſiſſet Deus vt incidiſſent in manus inimicorũ ſuorum, ſed eos cuſtodiuiſſet, & angelos ſuos miſiſſet qui eis aduigilaſſent: fuerunt vero aliqui viri probi qui monuerũt aliquos non mediocris autoritatis viros de ſuo officio vt omnia illic pie componerentur. Illud vero erat ſurdis canere. Ex quo multi cœperunt de exitu rerũ male ſperare, etiamſi tam miſerum ſucceſſum numquam præuiderint. Habuerũt etiam exempla antiquorũ Iſraelitarũ qui cum Deũ offendiſſent, Deus eos caſtigabat per manus inimicorum ſuorum donec reſipiſcerent. Verum exempla veteris teſtamenti nobis videntur nimis remota & longe petita, quare opus eſt vt Deus nos cautiores reddat ꝓprio periculo: niſi enim nos attingat Deus, nunquam reſipiſcemus. Atq; vtinã tandẽ propriis edocti ſumptib. ſapiamus.

Olim Iſraelitæ, ſi quam cladem ab inimicis accepiſſent, ilico agnoſcebant ſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Deum offendiſſe, & remediū quærebant vt Dei iram pacarent, apud noſtros nec admonitiones valent, nec ſi cladē aliquā accipiamus, agnoſcimus Deum nos corrigere ad metaniam, non autem nos percutere ad perditionem, ſed perpetuo eodem modo incedimus abſq; reſipiſcentia, cum tamen deberemus apud nos exiſtimare aut fruſtra nos profiteri eſſe ex Dei populo, aut nos debere eaſdem ſubire cōditiones & correctiones, quas perpetuo ſubiit populus Dei. Iſraelitæ olim fuerunt ſub captiuitate Ægypti, populuſq; ſub dura ſeruitute cōſtitutus, habuit ſeruitutem pro correctione, ideoq; eis Deus nullum aliud impoſuit iugum. Eis etiā vnicum remediū fuit patientia. At cum eorū numerus auctus fuit ita vt inimicis poſſent reſiſtere & exercitus cogere, tunc oportuit vti diſciplina & lege, & Deus eos per manus inimicorum caſtigauit cum eū offenderunt. Vidimus vero populū Dei reformatum fuiſſe aliquando ſubiectū ſeruituti ſpirituali eius ciuitatis, quæ ſpiritualiter vocatur Ægyptus, vt fuit aliquando tempore martyrii eorum qui igne cremabantur pro confeſſione & martyrio Chriſtia-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

ni nominis & purioris doctrinæ. Tunc
præter martyrium, iugum nullũ eis impo-
nebatur, tunc patiẽtia & fide opus fuit. At
nunc cum Deus ex cineribus martyrum
multos excitauit fideles, nobiſq; dedit re-
formatos principes multos, eodẽ iure vti
poſſumus quo Iſraelitæ in ſuis exercitibus
vſi ſunt erga inimicos ſuos. Loquor tamẽ
de principibus reformatis, & ad illũ finem
vt Dei populum protegant. aliud enim eſ-
ſet ſi de miniſtris verbi Dei loquerer qui
cum D. Paulo dicere debẽt, Arma militię
noſtræ non ſunt carnalia. In iis tamẽ præ-
liis quæ à principib. ſuſcipiuntur, videndũ
eſt vt veſtigia ſequamur populi Iſraelitici,
non quidẽ in iis quæ ſpectant ad ceremo-
nias, ſed ad ius & iuſtitiam & obſeruatio-
nem præceptorũ Domini & correctionẽ
maleficiorũ, cum videmus Dei iram con-
tra nos accendi. Hodie tamẽ neq; admo-
nitiones valent, (ſcimus enim aliquos prę-
monitos noluiſſe reſipiſcere) neq; caſtiga-
tiones. olim enim cum Iſraelitæ peccaſ-
ſent & aliquã paruã cladem accepiſſent,
reſipiſcebant, ſed nunc neq; paruæ neque
magnæ clades nos ad metaniam adducũt,
quare impoſterũ melius agamus & cau-
tius

tius nobis proſpiciamus. Et nobis etiã magis fauebit Deus. Hæc autẽ non propono vt in noſtros animaduertam, ſed quia ſcio nullũ poſſe adhiberi commodum remedium vbi mali cauſa deliteſcit, & neminem poſſe venire ad metaniã, niſi per confeſſionẽ peccatorũ. Quare cum Daniele dicendũ, Peccauimus nos, & patres noſtri, & principes noſtri, nobis faciei cõfuſio, Deo vero gloria. Doleo noſtrorum caſum, ſed Deo gloriam reddo & eius iuſtitiam agnoſco. Cum etiam aliquis malos arguit, bonis nullam iniuriã facit, eos enim ſub malorum numero nõ complectitur, ſed eos excipit, vt hoc loco excipiendi ſunt multi comites, barones, nobiles aliiq; viri boni, qui & perſonas ſuas & ſuorũ vna cum facultatibus ſuis expoſuerunt, vt Deo ſub bono zelo bonaq; intentione ſeruirent, quibus nocuit malorum nequitia, & ideo propter illos maxime dolendũ, Neq; exiſtimo eorum qui ex noſtris partibus fuerunt, nequitiam quæ iram Dei mouit, eſſe comparandam cum factis inimicorum atrocioribus. Ideoq; poſſum cũ Eſdra dicere, Si facta noſtrorũ cũ peccatis Babyloniorum comparentur, noſtra ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

illis ſuperari. Scimus enim quam atrocia facinora in his etiam motibus bellicis variis in locis fuerint ab inimicis perpetrata, quæ recenſere non eſt inſtituti noſtri. Cur igitur potius in noſtros quam in inimicos animaduertit Deus? Quia maiorem perfectionem requirit in ſuis quam inimicis, non enim præcipit Deus vt eius inimici ſancti ſint: at ſuis dicit; Sitis ſancti quoniã ego ſanctus ſum. Præterea pater filios ſuos ſæpe videt & ſæpe caſtigat, & nos Deus caſtigat ad metaniam. At inimicis permittit vt eorũ nequitia ad vltimam metã perueniat & menſurã compleat, vt tandẽ eos corripiat ad integram ruinam. Ideoq; nõ debent inimici ſuperbire, qui nec meliores ſunt, necdũ euaſerũt Dei vindex iudicium. Pollicetur autem Deus ſi nos adhæreamus eius verbo & obſeruemus eius mandata & iura, vt faciamus iudicium & iuſtitiam, futurum vt vnus ex noſtris militibus perſequatur mille & mille decem millia. Contra vero ſi eius mandata negligamus vt pro libito ambulemus vt fit vbi nulla exercetur iuſtitia, futurum vt ex inimicis vnus perſequatur ex noſtris mille, & mille decem millia. Vtrum hoc vltimum

mum, verũ ſit necne, docent recentia exempla, quorum plagæ adhuc cruore madidæ ſunt. vnũ experti ſumus proprio damno, quæramus aliud experiri, tunc videbimus Dei fauorem nobis eſſe inſtar muri ignei qui deuorabit inimicos noſtros, tunc & Michael & Angeli eius pro nobis pugnabunt contra draconem & angelos ſuos. Felicem eſſe dicimus quem faciunt aliena pericula cautum: Sed ſi quis proprio inſtructus periculo, nõ ſapiat, qua ratione tandem ſapiet? Noſtra peccata concitarunt Dei furorem, eius fauorem conciliet impoſterum iuſtitia quæ inter nos exerceatur, neq; nos deterreat Dei caſtigatio ſed cautiores reddat, neq; inſtar equi calcitroſi ſtimulo reſiſtamus, ſed noſtrum curſum ſtrenue perſequamur donec ad metã perueniamus. Cum etiam ſcriptura nobis proponat ſapientum duplex genus, quorũ alii ſunt ſapientes labiis, alii cordis ſapientes, eorũ conſilio adhęreamus quos nouimus eſſe cordatos viros, & quorũ ſapientiam cum multa experientia coniunctam oſtendunt propria non dicta ſed facta, quos etiam Deus videtur per rerũ ſucceſſum comprobare, & teſtimonium eis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

perhibere ſe opus ſuum illis commiſiſſe. Summa nihil aliud peto à noſtris principibus, quam vt ſibi maturè proſpiciant, & vicinorum exemplo & ſuorũ edocti magis ac magis ſapiant, & quæ iuſta agunt, iuſte etiã agant. Et vt Deus olim ab Iſraelitis exigebat vt eſſent populus ſapiens, idẽ ego à noſtris poſtulo & ſpero, eodemque modo ſpero Deum eis adfuturum.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

niſiſſe.
rinci-
ant,&
i ma-
gunt,
Iſrae-
ns,idē
co-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

BAGSIDE AF TITELBLAD Do503329

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 62 [21,-213 8°]